



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac  
subsídium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 8. De Gula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

malum omne sustuleris. Nimiis opibus pone modum quidquid eximiâ specie inflammare animos potest abjice vel absconde. Si quid est, quo carere nolis, nequeas, modestè utere; invidiam, quam insolentia exasperat, humilitas lenit.

## §.VIII.

## De Gula.

I. Est inordinatus appetitus alimenti, id est, si alius cibis aut potus usurpetur, quàm ipsa Naturæ sustentatio requirit; de qua sequentes tres doctrinas bene advertere debet Asceta.

II. Prima est, ut cognoscat *necessitatem* expugnandæ Gulæ; neque enim ad conflictum spiritualis agone assurgitur, teste S. Gregorio, si non priùs inter nos metipsum hostis positus, Gulæ videlicet appetitus edomatur.

III. Secunda est, ut bene cognoscat modum edendæ gnosendi, quando appetitus Gulæ inordinatus est, nam, teste S. Gregorio, sic voluptas sub necessitate palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Sapienter autem in edendi via furtivè adjuncta voluptas subsequitur: nonnunquam verò impudenter libera etiam præcipere conatur. Facile verò est deprehendere, cum voluptas ejus necessitatem prævenit, sed valde difficile est discernere, cum in ipso esu necessario se occultè subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi à tergo veniens tardiùs videtur. Ut ergo hanc fraudem cognoscere & fugere queat, Deum imprimis gratia imploranda, subinde bona intentione præmittenda, & sub ipsa sumpuone cibi aut potus

quandóque iteranda: ac tandem steni guttutis, ut S. Augustinus monet, temperata relaxatione & constitutione temperandi sunt, ne appetitus prævalere valeat.

IV. Tertia est, ut bene etiam solidum modum vincendi hoc vitium cognoscat, qui in sequentibus tribus doctrinis consistit. 1. Ut artem continentiae sic teneat, quatenus non carnem, sed vita carnis occidat. Adjutorem quippe habemus internae intentionis hunc hominem, quem exterius gestamus, & ipsi insunt motus lasciviae, & ipsi effectus suppetunt operationis bonae. Sæpe verò dum in illo hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus, & sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Hinc S. Hieronymus dixit: Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, & multò melius est, quotidie parùm, quàm raro sumere. Sed & ipse Christus S. Gertrudi dixit: Mihi quidem ad hoc oblatum erat vinum myrrhatum cum felle mixtum, quò citius morerer, sed desiderium multa patiendi pro homine retraxit me, ne biberem. Tu verò diverso in eodem amore sume omnia necessaria & commoda, ut per ea diutius in servitio meo viva conserveris. 2. Ut nôrit, generalem hunc continentiae modum esse, ut secundùm capacitatem vitium, vel corporis, vel ætatis tantùm sibi cibi unusquisque concedat, quantum desiderium saturitatis, exposcit. Ut autem hæc mensura cognoscat, suadet S. Dorotheus, ut quisque experienciã Magistrã discat, & observet, quanta cibi copia solet stomachum gravare, ac deinde paulatim de copia illa detrahat, donec nullam ampliùs in digestionem difficultatem sentiat. Contrà notet quoque, quanta cibi tenuitas & parsimonia imbecillioem red-

dat, ut officio, quod sustinet, ægrè satisfacere possit. In quo animadverso paulatim eò usque comineatur: temperat, donec integras vires sentiat ad munus suum committendum, modè obeundum. P. Nicolaus Lancizius scribit in suo Magistro Novitiorum hanc regulam temperantiae & sobrietatis præscriptam fuisse, ut tantùm quis comedat vel bibat, ut absoluto prandio vel cæna ad orationem se dispositum sentiat. Hinc & Tertullianus de moribus veterum Christianorum scribens ait: Bibere quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meruerint etiam per noctem sibi DEUM adorandum esse. Et hoc est, quod etiam Angelus S. Pachomio in divinis regulis præcepit: Concede unicuique, ut comedat & bibat pro viribus; neque jejunare prohibe, neque comedere; & meritò, nam, teste Clemente Alexandrino, periculosa sunt extrema, media autem bona sunt. Medium autem est, quidquid non eget necessariis rebus. 3. Ut frequentes de Gula victorias reportet quis studeat. Hinc Apollonius laudatus ab Episcopo suavit: Si voles te tibi ipsi exercere, sitibundus magis æstu, accipe volas plenas aquâ frigidâ, eamque rursum expue, ad id te facere nemini dixeris. Quod idem etiam in cibo factitandum.

## §. IX.

*De Luxuria.*

I. Est impuræ & libidinosa voluptatis inordinatus appetitus, de quo pariter tria specialiter advertenda debet Asceta.

II. Primum est, ut bene cognoscat, quòd vitium hoc peculiariter infestet ad perfectionem tendentes. uti bene S. Gregorius ostendit, dum ait: In via autem